

8

NUMISMATA REGUM

nem, quòd scilicet is Leonem Nemæum strangulaverit? Si huc respicias, inquit DULODORUS, ne sic quidem Tibi repugnabo; Assertum enim fulcire potest afficta à capite regio Clava: Quanquam dubitem, an sub Leone, Leonem Nemæum, quem Hercules domuit: annon potius Leoninum Herculis animum intelligere debeamus, cujus æmuli proinde videantur & Bitucus & Bitovius, eò scilicet sensu, quò Hercules ipse *Leo* Cassandræ vocatur, apud Lycophronem versu 33. Leonino sanè animo, Leonino & robore adversus Romanos processit is, quem à Domitio Romam perducum supra memorasti; Cum enim centum & octoginta militum millia in aciem produceret, exercitum Romanum vix canibus suis escam fore, jactavit. Tamen victus est, regessit ARCHÆOPHILUS, & cum 12000. amisisset, Romamque deinceps ad satisfaciendum Senatui profectus, in Epitome Liviana legatur, procul dubio Leonis animum deposuit. Fecisse credi potest, respondit DULODORUS, quod & Leones solent, qui captivi utique & ipsi mitescunt. Unicum adhuc quærendum videtur, inquit ARCHÆOPHILUS, an ejusdem scilicet hæc Numismata credas? an autem diverforum? Diverforum, respondit DULODORUS, id enim non diversitas Nominum tantum, sed & Facierum, utique aperte arguit, nisi artificum errori hanc adscribendam arbitreris, qui hodiènum Principis unius faciem, tam diverso interdum filo delineant, ut unius esse, nisi nomen id proderet, ne somniores quidem. Sed hæc, & quæcunque hæcenus dixi, in medio relicta sunt. Si rem minus tetigerim, optatò adveniet, qui certius quid producere poterit. Ego in Asiam regredior. Hic primum se sistit

MITHRIDATES  
REX PONTI.



Magni Pater, cognomento *Philo-Romæus*. Cùm plures hoc nomine fuerint, excepit ARCHÆOPHILUS, non Ponti tantum, sed & Parthorum, & Cappadocum Reges, imò cùm & Mithridates, Antiochi Magni, Regis Syriæ filius, Livio memoretur, an ad Ponti regem Numisma indubiè pertineat, haud abs ratione dubitarem. Præsertim cùm caput Regis insolitò pileò insigne sit, Mithridatis autem Numismata, quæcunque hæcenus inspecta sunt, solò vulgari diademate id revinciant, non minus ac etiam Mithridatis Pergameni, in eò nummò quem Seguinus vulgavit. Seguino, excepit DULODORUS, calculum negavit Vaillantius, Numisma, quod ille Pergameno tribuerat, ad Magnum pertinere ostendens, adeò ut hæcenus etiam ad Pergamenum limitata pateret. Quod Parthos & Cappadoces attinet, ii non tam Mithridatis, quam vel Arsacis, vel Ariarathis nomine innotuere, adeò ut de his jure ræceam. Licet autem Mithridatis Magni, cujus solius hæcenus Numismata inspeximus, caput diademate revinctum cernamus, id tamen non impedit, ut non Pater ejus Cidari ornatus esse potuerit: Imò potius credendum, Mithridatem Magnum (licet & ipse alias Cidari uteretur, id quod ex Plutarcho in  
*Pompejo*